

1031

C O D I C E S

1032

non tamen integra; versu nempe
26. abrumpitur. Lectio per su-
dum pro per ludum etiam hic, ut
Cod. mox cit. stabilitur. Cetera
cum edit. Canisii conspirant.

CCLXXXIII. VII. E. 2

320 Codex membraneus lat. Sec.
falterm XI. Folior. 200. f. per 2.
Columnas probe exaratus, me-
liorisque notae constat sequenti-
bus: I. Tractatu de principalibus
Vitiis et Virtutibus. Noveram
argumentum istud a Juliano Po-
merio jam Sec. V. agitatum fuisse,
sed vix lectionem ingressus
Cap. I. Gregorium in Job citari
deprehendi. Itaque ad Rabanum
Maurum delapsus sum, cujus T.
VI. Coloniae 1626. p. 125. In-
stitutio haec legitur, diversa ab
illa ejusdem Autoris, quae Edi-
tores Coloniaenses fugit, licet jam
a. 1560. cura Wolfg. Lazii ti-
tulo de Virtutibus et Vitiis Ant-
werpiae 8. lucem aspexerit. Ha-
bet porro nostra Praeloquium hu-
jusmodi: Cogitans ergo mecum
quo modo christiano populo aliquod
solatium preberem. quo melius con-
tra antiquum hostem configere pos-
set. et christi gratia donante ad
victoriam veram peruenire. excerp-
si de sanctorum et catholicorum pa-
trum scriptis aliqua testimonia. un-
de qui uellent opuscula nostra le-
gere. et coram quibus labor noster
despectus non est. aliquod adiuto-
rium acciperent ad regendum semet
ipsos. et alios ad meliorem uitam
corrigenos. Primum de octo prin-
cipalibus uiciis et remediis contra

eos (sic) opponendis. Deinde de
uirtutibus sacris. et laude earum
scribere decernimus. et sic ad ue-
ram confessionis humilitatem. et
ad poenitentiae remedium stilum
uertere cogitamus. Verum de ulti-
mo hoc argumento, siue Libro
III. qui in Editis incipit p. 130.
nihil in nostro Codice. Praelo-
quio subicitur Elenchus Capitum
Libri I. quae numero sunt XVII.
tractantque de Superbia, uana
Gloria, Inuidia, Ira, Tristitia,
Auaricia, Gula, Luxuria, sub-
jectis cuique Remediis. Cap. I.
in quo simul omnis horum vitio-
rum propago edifferitur, incipit:
A paradisi gaudiis postquam expul-
sum est genus humanum. octo cri-
minalia in filios adae originaliter
dominantur uicia &c. Liber II.
Capita censet X. De Uita actiua,
de Uita contemplatiua, de Fide,
de Spe, de Caritate, de Virtute
in genere, de Prudencia, de Iu-
sticia, de Fortitudine, de Tem-
perancia. Ultima Operis: Satis
ut opinor ex tribus gradibus caele-
stibus scilicet fide. et spe. et cari-
tate. nec non et uirtutibus quat-
tuor. quibus ad culmina uirtutum
ascenditur. est disputatum. Nota,
Opus etiam Halitgario Camerac.
tribui ex Canisii Lect. antiq. in
Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p.
909.

II. fol. 20. Incipit Expositio
Bede in Cantica Canticorum. Ini-
tium: Osculetur me osculo oris sui.
Salomon inspiratus diuino spiritu
composuit hunc libellum de nuptiis
christi et aecclesiae &c. Si re ip-
sa Bedae sit Commentarius iste,
ut

ut diversa manu bis praefixum ejus nomen contendere videtur, bis illum quoque in *Cantica* scripsisse oportet; praefens enim Expositio toto coelo abit ab ea, quam inter ejus *Opera* T. IV. *Colon.* 1688. col. 714. f. legimus. Reperitur vero ea in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1606. *Brunoni Astensi Signensium* Episcopo tributa, qui anno 1123. aut 25. diem clausit. Ad quam sententiam, ut aegre adducar, tria faciunt: Primo aetas Codicis nostri, quae *Brunonis* aetatem excedere videtur. Secundo, si etiam Codex *Brunoni* coevus statuatur, difficultas explicandi, quomodo Librario coevo *Brunonis* nomen ignotum fuisse potuerit. Tertio, Codex *Riccardianus* Sec. XII. *Florentiae*, in quo, teste *Job. Lamio Catal. Codd. Mss.* p. 83. praeter alia *Brunonis* hujus, longe diversa, eaque amplior et diffusior in *Cantica* Expositio ejus nomine insignita habetur. Igitur dicendum erit, *Brunonem* non tantum, ut ipse initio *Commentarii* sui in *Psal.* narrat, bis in *Psalterium*, sed etiam toties in *Cantica* commentatum fuisse, aut alius, isque antiquior Expositio ni nostrae Autor quaerendus. Atque hic pace lectorum *Haymonem* ex *Monacho Fuldensi*, tum *Hersfeldiensi* Episcopum *Halberstadiensem* Sec. IX. scriptorem obfidem dabo, dum certa quis evincat. Hujus enim nomine praefixo una cum *Enarratione* in XII. *Prophetas minores* prodiit illa *Coloniae* 1533. 8. quam Editionem

ignotam fuisse oportet *Mauro Marchesio* Operum *Brunonis Ast.* evulgatori.

III. fol. 74. Ejusdem *Haymonis* *Commentarius in Apocalypsin*, sed ἀνεπιτελεσμένος. Initium: *Legimus in ecclesiastica historia beatum iobannem a domiciano impiissimo caesarum &c.* Deficit in expositione initii C. I. his verbis: *Regnum autem solummodo ad caput. Particeps christi* — —. Extat integer *Colon.* 1531. 8.

IV. fol. 83. Brevis *Expositio X. Nominum Dei* ex Hebraico. Incipit: *Beatissimus hieronimus uir eruditissimus. multarumque linguarum peritus. hebreorum nominum primus interpretationem in latinam linguam conuertit &c.* Legitur pariter absque Autoris nomine T. III. *Opp. Hieronymi* edit. *Vallars.* append. 2. p. 729. ubi in expositione nominis *Sabaoth* post vocem *exercituum* haec desunt: *de quo in psalmo ab angelis dicitur; Quis est iste Rex gloriae? dominus uirtutum. Sunt enim &c.* Sextum item Nomen, quod ibi legitur *Ebeie*, id est, qui est, nobis rectius sonat *Esereie*, אֵשֶׁר אֱהִיָּה. Sed in nomine *τετραγεγαμματα* ante verba: *id est duabus JA*, noster inseruit: *iod.* quod vitiosum.

V. fol. 84. Incipiunt *Benedictiones filiorum iacob*. Interjectum manu coeua: *Rabanus episcopus. L. IV. Enarrationum in Genes. c. 15.* *Rabanus* has quidem *Benedictiones* explanat, sed hic de prolixiore ejus in illas *Commentario* agitur, quem *Trit-*

hemius *Librum* adpellat, quemque, utut diligenter quaesitum, Editores *Colonienses* nancisci non potuere, quemadmodum ipsimet in fronte T. I. queruntur. Ea itaque illum futuro operum *Rabani παρασαρν*. Praefationis ejus initium est: *Sacrosancta atque praesaga sanctorum Patriarcharum benedictio &c.* Operis ipsius: *Ruben primogenitus meus — Patet litterae sensus, quia beatus iacob primum filium &c.* Atque cum Praefatio haec, tum primum *Rubenis* oraculum impressa sunt T. III. opp. *Hieronymi append. 2. supracit.* p. 739. verum ubi ad *Simeonem et Levi* devenitur, tota alia, multoque brevior, atque ex *Hieronymi Quaest. Hebraic.* decerpta subtexitur interpretatio, neque in *Admonitione* praevia vel *PP. Mauriani* vel ipse *Vallarsus Rabani* verbulo meminere, quamvis *Hieronymum, Augustinum, Gregorium M. Eucherium Lugd. Alcuinum* adpellarent, inter quorum Opera aut sincera aut spuria ejusmodi *Benedictionum Explanations* extarent. Verum nostras ab his omnibus abire docet continuatio *Benedictionis Simeonis et Levi*. Ita illa: *Simeon et leui fratres. uasa iniquitatis bellantia. Patet litterae sensus, quia hi duo fratres. ob ulciscendum stuprum sororis. subornata pace. et fictis amiciciis. deciperunt sichein. et emor patrem illius &c.* Finis: *sicut exultant qui diuidant spolia.* Subjecta est ἀνακεφαλαιωσις Praefationi consona, quam adscribo: *Haec ergo certa*

et paterna est regula. ut non solum uniuscuiuslibet sermonis. sed etiam totius sententiae et causae sensum in diuinis litteris. non ex nostre opinionis praetudicio. sed ex ipsius diuinae lectionis serie id est precedentibus et consequentibus. si falli nolumus. exquiramus. Sicut beatus hieronimus docet dicens. Heret sibi sermo dominicus. et sequentia pendent ex prioribus. Prudens lector caue semper superstiosam intelligentiam. ut non tuo sensui attemperes. scripturis iungas sensum tuum. et intelligas quid sequatur.

VI. fol. 94. p. 2. *Questiones* cujusdam de *Theologia*. Ita manus recentior inscripsit *Epistolam* responsoriam *Anonymi* ad *Quaestiones* hermeneuticas tres *Episcopi* pariter *Anonymi*. Dabo *Quaestiones* ipsis *Respondentis* verbis: *Placuit interim uobis rogare quid sentirem super altercatione michaelis archangeli cum diabolo de moysi corpore. quod in epistola iudae apostoli legitur. quid etiam intelligerem de eo quod respondens dominus ad iob. de turbine dixit. Ecce beemmoth quem feci. tecum foenum sicut bos comedet; Postque etiam nonnulla sequuntur. An extrahere poteris hamo leuiathan? quae singula. uerecunda subseruiente obedientia — breuiter intimabo.* Itaque per *moysi* corpus *Populum Israeliticum* intelligens altercationem in tempus captiuitatis *Babylonicae* refert *Michaele* pro ejus liberatione Deum orante, malo Genio eum sub *Idololatriae* iugo retinere conante.

conante. *Bebemoth* adductis prius *Philippi*, cujus *Commentarius in Job* T. XI. *Opp. Hier. edit. Valars.* legitur, et *Gregorii M.* sententiis, lapsum Angelum interpretatur, *Leviathan* vero cum eum ipsum, tum partem humani generis ipsi adhaerentem. Initium Epistolae ejusmodi est: *Domino sanctissimo. et nimium desiderantissimo. apostolico honore dignissimo episcopo. ille humilis. deuotas orationes. et fidelissimum. atque aeternum seruitium. Epistola beatitudinis uestre. maximum et gaudium indidit. et metum incussit &c.* Finis: *obsecro. ut corrigendo instruat is inscium. non spernendo absterreat is deuotum.* Librum *Literarum* a *Rabano Mauro* relictum fuisse, testis est *Trithemius*; pauca vero illius haecenus inventas, norunt Eruditi. Itaque vix haereo et praesentem, et subsequa plura Responfa eidem tribuere,

Codex.

Itaque contra filium hominis dicebant uerbum hi. qui in eius carne scandalizabantur. hominem eum tantum arbitantes. eumque fabri filium appellantes. et fratrem illum habere dicentes. hominemque uoracem. et potatorem uini. eum esse succensentes &c.

IX. fol. 102. Expositio in illud *Isaiae* C. LXVI. *Et egredientur et uidebunt membra* (Sept. $\kappa\omega\lambda\alpha$. Vulg. *Cadavera*. פגרי) *hominum, qui praeuaricati sunt in*

eoque magis, quod utrinque certis *Rabani* Operibus intercepta sint, ut patebit.

VII. fol. 99. Expositio in illud *Amos* C. V. *Ve desiderantibus diem domini &c.* Initium: *In expositionibus scripturarum maxime propheticarum primum hystoriae iacienda sunt fundamenta. quibus solide constitutis. allegorica structura inconcussa firmitate procedere poterit &c.* Solet hoc urgere *Rabanus*.

VIII. fol. 100. Expositio in illud *Matth.* C. XII. *Omne peccatum et blasphemia dimittetur hominibus &c.* Initium: *Sensus huius sententiae pendet ex superioribus &c.* Vides, ut observet *Rabanus* id, quod in *Epilogo* ad *Benedictiones Filiorum Jacob* commendauerat. Praeterea quam gemina sunt, quae hic, et *Commentarii* sui in *Matth.* L. IV. T. *Opp. V. p. 76.* tradit.

Edita.

Quicumque convicia dixerit contra me scandalizatus quippe carne mea et me hominem tantum arbitrans, quod filius sim fabri et fratres habeam *Jacobum* et *Joseph* et *Judam*, et homo uorator et uini potator sim &c.

me. Disquirat autor, qua ratione Electi poenas Reprobatorum visuri sint. Initium: *Quomodo egredientur boni ad uidendas poenas malorum?* &c.

1039

C O D I C E S

1040

X. fol. eod. *De Tonsura*. Bre-
vissime allegoricus ejus Significa-
tus exponitur.

XI. fol. eod. absque Titulo
Explicatio et Significatus mysti-
cus *Septuagesimae*, *Sexagesimae*,
Quinquagesimae et *Quadragesi-
mae*. Ingressus est instar Homi-
liae: *Si diligenter bis quae ex euan-
gelica uel apostolica lectione reci-
tata sunt. animum intendimus. ani-
maduertere possumus. morum no-
bis et totius uitae mutationem. indi-
ci &c.* Finis vero: *sed illa sim-
pla morte domini. a nostra dupla
morte liberamur.*

XII. fol. 103. p. 2. Adnecti-
tur brevis Dissertatio de *Respon-
soriis et Antiphonis*, quae in *sep-
tuagesima in ecclesiis* canuntur.
Quod *Allehujah* ante eam multi-
plicetur, hanc sub finem ratio-
nem adfert: *quod ipsa die dimitti-
tenda est. et ideo quasi salutantes.
et complectentes. et ualefacientes.
quasi quasdam moras inuenimus re-
cessuræ. adhuc si fieri posset reti-
nere cupientes.*

XIII. fol. et p. ead. De cele-
bratione *Diei III. VII. et
XXX. pro Defunctis*, absque Ti-
tulo. Initium: *Tercia dies specia-
liter pro animæ absolutione cele-
bratur. quia triplicis est naturæ. ui-
delicet irascibilis concupiscibilis et
rationalis &c.* Ratio diei VII. *Sep-
tenarius namque numerus ex ter-
nario constat et quaternario. et ter-
narius animæ tribuitur. quaterna-
rius corpori deputatur. propter.
IIII. notissimos quibus constat hu-
mores. Interjecit manus coeua:
sanguis. colera rubea. colera nigra.*

flecma. Sed haec parum satis-
faciunt. Pro celebratione *Diei
XXX.* exemplum e *Dialogis Gre-
gorii M.* adducitur.

XIV. fol. 104. p. 2. De *Tri-
bus vitae statibus* breviter: *Tres
status sunt totius uitæ; Primus
status fuit felix. a quo adam per
preuaricationem cecidit &c. Secun-
dus status miser. in quo nunc su-
mus &c. Tertius status est in il-
la beata uita &c.* Adferitur hic
Adam, postquam uetiti ligni po-
mum presumpsit, liberum arbitrium
ad bonum perdidisse.

XV. fol. 105. componitur
Ἀντιλογία inter illud *Exodi C.
XX. Visitans iniquitatem patrum
in filios*, et illud *Ezech. XX.
Filius non portabit iniquitatem pa-
tris.* Initium: *Questio oritur. cur
dicatur. uisitans &c.*

XVI. fol. eod. p. 2. absque
Titulo, ut plerumque, *Disquifi-
tio de Suffocato.* Initium: *Suffoca-
tum uocamus animal. quod a lupo.
seu urso. et aliqua bestia strangu-
laturum uel laceratum est.* A tali
censet Noster abstinendum, non
vero a praeda, quam hominis ve-
nantis industria vel per canes, vel
per falcones, hamo, laqueo, vi-
fco &c. in potestatem redegit.
Exposito dein *Apostoli* de Suffo-
catis praecepto, ita concludit:
*Nunc uestram domine mi deside-
rantissime. et totis diligende pre-
cordiis. obsecro maiestatem. ut quia
precepto uestro. non ignarus pro-
prie mediocritatis parere studui.
consulatis necessitati meae. exonere-
tis uerecundiam. detis ueniam igno-
rantiae. faueatis deuotioni; fatebor
certe*

*certe nostram miseriam. nec pudor mihi obstabit; Cotidie nos hostis armis circumtonat. continua rerum nos adterunt dispendia. famis quoque inaudita penuria per omnem nostram crassatur regionem. His et aliis innumeris pro peccatis nostris adtriti calamitatibus. oramus ut manum largissimam ad nos usque dignemini extendere; Hoc siquidem meritis uestris condecet. et nomini ac gloriae uestrae non parum proficiet. sed et nos in eternum. et fidelissimos seruos et deuotos oratores uobis acquirat. Vides Principem aliquem, Ludovicum Pium, aut unum e Filiis, sententiam Rabani de Suffocato exquisiuisse. Famis mentio Scriptum istud anno 850. adfigere videtur. Adi Mabillon. *Act. SS. O. B. Sec. IV. P. 2.**

XVII. fol. 107. Nova Differentiatio in illud *Matth. XII. Marci III. Lucae XII. Qui blasphemauerit in spiritum sanctum &c.* Initium: *Queritur cur Dominus dicat. qui blasphemauerit &c. cum nulli desperandum sit de magnitudine peccatorum suorum &c.* Augustini in hoc solvendo autoritate utitur, atque inter alia Spiritum S. a Patre Filioque procedere, et quaedam esse peccata leuia, quae post mortem remittantur, adferit.

XVIII. fol. 107. p. 2. *Querunt quidam quare peccatum quod cum tempore committitur. sine fine punitur.* Respondet Rabanus: *Sed Deus non ad opera hominum. sed ad uoluntates attendit. qui semper uiuere. et semper peccare uel-*

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

lent. si possent &c. Item respondet ad Quaestionem: *Cur in epistola. quae ad hebreos dicitur. non preposuit nomen suum apostolus. sicut et in ceteris?* Utrumque breuiter.

XIX. fol. 108. *Questio de Adoranda Cruce.* Initium: *Cum a te propositam mihi carissime lupo. de adoranda cruce questionem soluere. et curiositati tuae quamuis animo oppido perturbato satisfacere conarer. orta est ex ipsa quam facilem existimaueram solutione. questio longe ualidior. atque amplexior. de adorando uidelicet deo &c.* Huic initio manu Sec. ut videtur, XV. ad marginem adscriptum: *Lupus seruatus presbyter ad quem Rhabanus 8 libros in epistolam Ro. pauli scripsit. Lupus hic in Fuldensi Coenobio olim sub Rhabano sacris studiis vacans, Abbas postea Ferrariensis in Dioec. Senonensi creatus est an. 838. de qua re epistolam dedit ad Rabanum, quae T. XV. Bibl. PP. Lugd. p. 20. ordine XL. est. De praesenti vero Quaestione tam in hujus, quam in illius rebus altum, quod sciam, silentium. Et primam quidem Partem ita tractat Noster, ut et exemplo Servatoris, et Formula ab eo praescripta urgeat, solum Patrem adorandum et invocandum esse; ubi vero, et in quibus orationibus Christo domino id est filio sit supplicandum, item de Sanctorum invocatione, nihil decidat, sed dicat: *se nondum imegisse. quem nisi diuinus esset, herculaneum appellarem.* In*

U u u

Parte

Parte *secunda* de *Cruce* multa praeclare congerit ad distinguendam *Orationem* et *Adorationem*, quo loco etiam doctrinam graecam *Romae*, ut est in *Vita a Trithemio* scripta, haustam a *Theophilo Ephesio* comprobat, dum *proseuchen*, *προσευχην* et *proschinusin προσκυνωσιν* significatu differre exemplis biblicis ostendit, atque adeo concludit: *Hoc et nobis credamus esse faciendum. ut prosternamur uidelicet ante crucem. et eum qui in ea pependit. interioribus oculis intuentes adoremus. Sic et crux quae sine dubio sancta est. et competentem sibi habebit honorem. et deus in quo. et a quo. et per quem. ut beatus augustinus ait. sancta sunt. quae sancta sunt omnia. in eo quod ipse sanctificauit. uenerabiliter adoratur.*

XX. fol. 110. p. 2. Epistola, cujus inscriptio: *Domino beatissimo et uere apostolico. uerae et eterne sapientiae amatori. sanctae uirdunensis aeclesiae ierarcho. dignissime ab omnibus uenerando! R. (abanus) eius fidele mancipium. et minimus seruulorum eius seruulus. fidelissimas orationes in christo et seruitium sempiternum. Omnipotenti deo gratias refero &c.* Epistolam hanc intra an. 842 — 47. scriptam putem, dum Noster abdicato Abbatis munere in *monte S. Petri* privatus ageret; Cum enim Episcopus *Virdun.* qui intra hos annos *Hilduinus* fuit, eum ad se invitasset, respondet: *Quod dixistis uelle uos me esse uobiscum? me miserum cui non contigit uos id uelle. dum adhuc*

calidus medullas sanguis alebat. solideque suo stabant sanguine (robore?) uires; Nunc longo senio putre corpus (natus erat an. 776.) et succedentibus sibimet morbis membra debilia. hoc exoptabile bonum mihi inuident. Prolixe deinceps consolatur Episcopum de temporum calamitatibus adductis etiam *Gregorii M.* et *Augustini* locis, iussusque sententiam expromere in ultimam partem Prophetiae *Ezechielis* de *gog* et *magog* aliisque gentibus, ita infit: *Primo dicendum. opinionem que innumeros tam in uestra. quam in nostra regione peruasit. friuolam esse. et nihil ueri in se habere. qua putatur deo odibilis gens hungorum (tum primum Germaniae innotescens) esse gog et magog. ceteraeque gentes quae cum eis describuntur &c.* Fuisse porro in contrarium differit, et per *Gog* et *Magog* Haeresiarchas potius et eorum sequaces intelligendos esse statuit. Tum ad *Hungaros* rediens gentem quidem certe *Romanis* cognitam, sed alio tunc nomine fuisse contendit. Itaque in praesens nomen inquit: *Referam quid audierim a maioribus cum primum execrandae huius gentis nomen apud nos auditum est. siue illud historia. siue sit fabula.* Audiuit autem, fame immaniissima olim omnem *Pannoniam Histriam* et *Illyriam* invadente vulgus inutile a Principibus earum regionum sedibus exactum intrasse *meotides paludes*, ibique consumptis imbellioribus, qui magis strenui erant, venatu vitam tolerasse pel-
libus

libus ferarum tectos, arcuque valentes, dum numero auferentur; Et sic tandem vicinarum gentium fedes invasisse, a fame teutonice *Hunger*, quam Majores eorum perpeffi erant, *Hungros* adpellatos &c. Miretur, qui nescit omnium Populorum origines fabulis involutas esse.

XXI. fol. 113. p. 2. Responſio ad Quaestionem: *cur modo in orbe christiano non edificentur. aut dedicentur ecclesiae in memoria uel nomine patriarcharum uel prophetarum. ceterorumque sanctorum. qui domini et saluatoris nostri aduentum precesserunt.* Initium: *Placuit beatitudini uestrae pater sanctissime. requirere a nostra exiguitate. cur &c.* Praecipuam rationem ab eo, quod illorum Dies natales aut Passionis ignorentur, et non reperiantur Reliquiae, sine quibus templa edificari aut consecrari moris non est, repetit *Rabanus*, cuius *Opuscula*, quae *Rab. Mauri Responſa* inscribi possent, hic finiri putem; Expositionem enim Significatus allegorici *Baculi Pastoralis*, quae manu Sec. XII. ultimae illius Responſioni media interiecta est, ad

illum pertinere non arbitror. Inquirant Antiquitatis ecclesiasticae Studiosi, an aliae Bibliothecae Codices subpeditent, quibus quam evidentissimum reddatur, in hoc Volumine contenta novae *Opp. Praefulis nostri Editioni* adjungi debere.

XXII. fol. 115. Farrago quaedam *Glossarum* seu Interpretationum ex Hebr. Graec. et Latino magnam partem frivolarum. Initium: *Pliades dicuntur stellae in fronte tauri positae eo quod plures sint.* Ita: *Melameſſis collectio mellis. Nilus neon ilon nouum limum trabens. Apocriphus liber dicitur secrete legendus. Plandeſtes (πρωδεκτες) dicitur biblioteca illa picta ubi uidetur quomodo beatus Paulus corrigiata (loris) cesus fuit. Ubi gentium haec Bibliotheca? Smigma quod et dentifricium dicitur ex ebore. et picmentis. ex quo infectum est Corium unde fricant mulieres dentes suos. ut bonum habeant odorem. Problema obscura parabola. Yamm eliaſtolofane ciuitatis episcopus (forte legendum Yammelius five Amelius; hic enim Tolosae sub finem Sec. XI. sedit) fecit uersus ubi dixit*

Queritur a multis quidnam sit problema parua.

Extalis est maius extum intestinum uidelicet per quod stercora diriguntur quod nos sentinarium dicimus idem sunt et marisce &c.

XXIII. fol. 116. p. 2. absque alio Titulo: *Interrogatio Augustini.* Est hic *Augustinus Romanus a Gregorio M. ad Anglorum con-*

uersionem ablegatus an. 598. qui primus Cantuariae Archiepiscopus obiit an. 604. *Interrogationes* ejus XI. *Gregorio* propositas *Beda* L. I. *Hist. Anglor.* c. 27. instar Libelli inseruit, unde postmodum in formam Epistolae redactas habes T. II. *Opp. Gregorii*

edit. *Maur. Paris. 1705. Epistolar. L. XI. n. 64. col. 1150.* Verum in *Cod. nostro* tantum *Interrogatio V. VI. VII. X. et XI.* repraesentatur. Quoniam vero *Priores III. circa Matrimonii Impedimenta et Consanguinitatis, Adfinitatisque Gradus* versantur, adpietum est sub finem elegans *Schema*, cujus duo Circuli medii

maximi sex Gradus generis Paterni et Materni ascendentes et descendentes exhibent, sex vero Circuli laterales minores Effata five Canones *Calixti, Gregorii, Julii*, iterum *Gregorii, Nicolai Pontiff. et Isidori Ep. Hispal.* continent. Circulus maximus Medium Schematis ambiens hac utrinque gaudet inscriptione:

Humani generis medii de limite finis

Ut liceat nulli proprio cum sanguine iungi. Et:

Sex patet esse gradus miro discrimine iungos

Sursum scandentis uel in inferiora cadentis.

XXIV. fol. 122. p. 2. Confessio Trinitatis *στιχῆνος* scripta absque Titulo, cui recentior manus imposuit: *Victorini afri viri consularis ὕμνος.* Extat Viri huius, Scriptoris Sec. IV. Rhetoris

Rom. in senio ad Christum conversi Hymnus I. de Trinitate in Bibl. PP. Lugd. T. IV. p. 294. cujus solus Versus *primus* cum nostro convenit:

Adesto lumen verum Pater omnipotens Deus.

Sed video *Andr. Rivinum* in *Reliquiis Duūm Victorinorum, Gothae 1652. 8.* Tres ejusmodi *Hymnos* edidisse, neque tamen dicere possum *Nostrum* in iis connumerari, cum *Reliquiae* illae ad

manum non sint. Ceterum ex eo bona pars *Antiphonarum*, quae in *Festo Trinitatis* hodie ad *Matutinum* leguntur, deprompta est. Prosequitur ille:

Adesto lumen de lumine uerbum.

et filius dei. deus omnipotens. &c.

Et finit: *O. B. T. Tibi laus. tibi gloria. tibi gratiarum*

actio. in secula sempiterna.

XXV. fol. 123. p. 2. *Fl. Albini* seu *Alcuii Liber de Virtutibus et Vitiis ἀνεπιγραφως*, nisi quod manus recentior praefixit:

Alcuii ad Guidonem comitem Enchiridion του παναγοτου. Praeit *Elenchus Caputum XXXV. Peroratio enim Operis* non est computata.

tata. Post haec: *Incipit Praefatio. Dilectissimo filio uuidoni comiti humilis leuita alquinus salutem. Memor petitionis tuae. et promissionis meae &c. Finis: boni operis perpetua coronabitur gloria. Neque enim adest illa lacinia a Quercetano in Edit. Opp. Paris. 1617. f. ex T. VI. Lect. Antiq. Canisii adtexta. In nova Editione Ratisb. legitur Liber noster T. II. 1777. Vol. I. p. 128. cum variis Codd. mfs. collatus.*

XXVI. fol. 141. *Sermo leonis pape. Initium: Hodierna festiuitas preter illam reuerentiam quam toto terrarum orbe promeruit. speciali et propria romang urbis exultatione ueneranda est &c. Fragmentum Sermonis in Natali Apostolorum Petri et Pauli, qui in Edit. Quesnel. Lugd. 1700. est p. 163. LXXX.*

XXVII. fol. eod. p. 2. ad marginem: *Sermo maximi episcopi. Centunculus ex pluribus Ejus Sermonibus in Natali Apostolorum Petri et Pauli, qui leguntur Bibl. PP. Lugd. T. VI. a p. 34. Initium: In omnium sanctorum commemoratione letandum est &c.*

XXVIII. fol. 142. *Opusculum de militia spirituali et seculari. Ita manus recentior una, et altera supra in margine: Ferrandi Ad Reginum Comitem de VII. regulis Innocentii liber. Est hic Fulgentius Ferrandus Fulgentii Rusp. discipulus et Sec. VI. Diaconus Eccl. Carthaginensis, cujus Opera e Petri Franc. Chisletii edit. Divionensi 1649. 4. recusa sunt in Bibl. PP. Lugd. T. IX. a p.*

475. *Et Παγαυετικον quidem nostrum p. 494. Incipit illud: Socialis uitę laboribus exercendus. ignorantia pueritię mox (ut) rationalis homo caruerit &c. Et finit: ubi dabitur ducibus christianis perpetuus principatus. Satis emendate descripta est praeclara haec Christiani Militis institutio, quae in linguas modernas transferri mereretur.*

XXIX. fol. 162. p. 2. *Incipit Liber qui vocatur Via Regia. Librum hunc post Luc. Holstenium Luc. Dacherius Spicil. edit. 1723. T. I. p. 238. et Job. Mabillonus Analect. vet. p. 357. Smaragdo Abb. S. Michaelis in Dioec. Viridun. Scriptori Sec. IX. tribuunt, quem is ad Carolum M. aut Ludovicum potius Pium scripserit. Legitur in Spicil. cit. p. 238. sed absque Praefatione, quam in Cod. Reginae Suec. deperiisse, recte conjectavit Holstenius; extat enim in Nostro, unde describam, nec me labor iste gravabit. Non nos ad hunc conficiendum libellum spiritus commouit presumptionis. sed dilectionis et caritatis. alioquin incongruum uideretur omnibus. et ineptum. ut serui domino. humillimi excelsio. pauperes potenti. famuli clarissimo regi conuiuuium prepararent. et quem ab infancia multiplex cornigerum pennigerumque cibis nutriuit. et multigenę regique diuitię regio educarunt in gremio. ad nostrum modicum et olericum regem inuitaremus pabulum. quasi nostra insulsa nec ad purum decocta potestati regiae sufficeret olla. Sed non ut prefati sumus. nos*

ad hoc peragendum opus presumptionis commouit audacia. sed dilectionis et caritatis excitauit fiducia. Indefinenter etenim omnium uestrorum recordamur bonorum. et multiplicium uestrorum non obliuiscimur munerum. amplexus quos nobis dulciter regalis ulna porrexit. in mentis archano depinximus. oscula melliflua in cordis tabulis fortiter sculpsimus. uerba uestra utpote regia melliflua dulcia et suauiua. uelut thesaurum in mentis tenemus archano. felices dicimus illos. qui uobiscum cotidie uiuunt. felices qui iugiter uobiscum morantur. uestra enim forma patiens et ornata omnes letificat. omnes exultat et glorificat. Omnibus munera dilectionem et amorem ministrat; hoc nos regio dulcique amore permoti et regali munere excitati hunc parui paruulum libellum digessimus. quem diuinis testimoniis multipliciter confirmauimus; Nomen illi uiam regiam dedimus. et tibi regi feliciter legendum direximus. ut uelut per regia currens itinera ad regem regum et ad regiam feliciter peruenias patriam. Ceterum Opusculum nil abit ab Impressis, nisi quod in plures Articulos miniatis inscriptionibus gaudentes fit diuisum.

XXX. fol. 191. Incipiunt Dicta Sancti Augustini de Disciplina Christianorum. Initium: Locutus est ad nos sermo dei. et depromptus est ad exhortationem nostram &c. Opusculum alias inscriptum Liber aut Libellus extat edit. Maur. Opp. Augustini T. VI. 1685. col. 581. diuisum in Capita XIV. sed

nobis una ferie decurrit, nec habet in finem laciniolam illam, quae ibi n. 16. audit.

XXXI. fol. 194. p. 2. Hic Liber Sancti Valeriani Cimelensis Episcopi de Bono Disciplinae. Initium: Multi qui sanę doctrine aduersantur. iusticiam culpant &c. Primus Librum hunc seu Sermone[m], cum antea inter Augustini Opera legeretur, suo Autori redditum e Bibliotheca Barth. Schobingeri Patricii S. Galli produxit Melch. Goldastus cum 1601. 8. tum inter Paraeneticos Veteres P. I. 1604. 4. Eundem cum XIX. aliis, quos in Cod. Corbeiae Vet. reppererat, repraesentauit Jac. Sirmondus Paris. 1612. 8. ne appellato quidem, quod saluis omnibus poterat, Goldasto. Inde in ejus Opp. T. I. Paris. 1696. col. 613. et in Bibl. PP. Lugd. T. VIII. p. 498. habetur. Praemititur ibi breuis etiam Valeriani Notitia, de quo plura in Hist. liter. de la France T. II. p. 328. ubi aetas illius Sec. V. adfigitur, Nominique, quemadmodum in Goldastiano et nostro Codice, Sancti Titulus praeponitur, cujus rei tamen causa Sirmondum quidam Inquisitoribus detulerat. Ubi Autores Hist. mox cit. miror, quibus delator une personne, que l'on ne nomme pas, audit. Nominavit illum sane Theoph. Raynaudus in Apologia Valeriani Opp. T. XI. p. 93. et iterum T. XII. p. 438. Nicolaum Chichonum Ord. Minimor. Quo loco emendandus Schoetgenius Bibl. Fabric. med. lat. L. XX. qui Virum hunc Or-

dini

1053

P A T R I S T I C I

1054

dini *Minor.* et *medio aevo* adscribit. Ceterum *Codex* noster complures lectiones diversas et saepe frugi subpeditat. Ita *Goldast. cuncta starent elementa.* Noster: *coactum maris seruiret elementum.* *Gold. itineris necessitatem infatigatis.* *Sirm. infatigatus.* Nost. *itineris necessitate fatigatus.* *Gold. Luna — damna effugiat.* Nost. *sentiatur.* *Gold. Quid autem rationabilem animam — expediatur.* Nost. *expelet &c.*

XXXII. fol. 198. De *Prelatis.* De *Justicia Principum.* De *Pacientia.* Quod *Principes Legibus teneantur.* Singulare, quod in *Goldastiano* etiam *Codice Capita* haec continuo *Valeriani Sermonem* exceperint, qui cum ita finiat: *sequenti tempore differamus,* et materia ipsa congruat, facile induci quis potuerit olim, ut et haec de *Principum officii* *Placita Valeriano* adscriberet. Sunt vero *Isidori Hispal.* apud quem L. III. *Sentent. Capita XLVIII — LI.* constituunt. Vide *Goldasti Editionem* (Genevae) apud *Petr. de la Rouiere.* 1601. p. 23. 8. et *Jac. du Breul Paris.* eod. an. p. 684. f. quorum utramque cum nostro *Cod.* contendere non inutile fuerit futuro *Isidori* editori.

Insunt praeterea *Codici* *Schemata II. Alphanumerica - Arithmetica,* quorum primo p. 1. *Literarum Graecarum Nomen,* *Figura,* *Valor numericus,* et *comparatio cum Latinis* exhibetur. *Figura κρπκ* ad designandum numerum 90. hic *Quo* audit et per

Y sed absque puncto imposito exprimitur. Numerus 900 figuram Ϡ. et 1000. vocem *Mennacuse* subjectam habet. Alterum *Schema fol. 73. p. 2.* Numeros vocibus et literis *Rom.* ab *Unitate* usque ad *Mille milia* enunciatis complectitur, subjecta gemina hac *Regula: Litera numeralis minus significans si preponitur tantum demit de sequenti quantum in se habet. Litera numeralis cui titulus* (id est lineola —) *super scribitur transit in millenarium numerum.* Tantum de insigni hoc *Volumine,* quod olim *Coenobii S. Mariae Chotwich* seu *Gottvicensis O. S. B.* in *Austria* fuit.

CCLXXXIV. VII D. 4

Codex membranaceus *lat. Sec. 242.* XIV. *Folior. 216. f.* per duas columnas nitide exaratus et rubricis ornatus complectitur *I. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis* *Scriptoris* *Sec. XI.* opuscula hoc ordine:

Fol. 1. Incipit prefacio libri monologij anselmi archiepiscopi cantuar. *Quidam fratres sepe me studioseque precati sunt &c.* *Finis: sed solus deus ineffabiliter trinus et vnus.* Extat in edit. *Opp. a Gabr. Gerberonio curata Paris. 1721. f. p. 3.* istud *Monologium.*

Fol. 20. Incipit prefacio libri prologion beati anselmi cantuariensis archiepiscopi. Postquam opusculum quoddam uelud exemplum meditandi &c. *Finis: donec intrem in gaudium domini mei qui est*